

Franckesche Stiftungen zu Halle

Christiani Mündenii S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Prof. Ord. Selectae Theses Theologicae Vniversam Doctrinam Christianam Exhibentes

Muenden, Christian

Helmaestadii, 1730

VD18 13487477

Caput Secundum De Operibus Dei In Regno Naturae.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201546

LIBRI SECVNDI
CAPVT SECVNDVM
DE
OPERIBVS DEI IN REGNO
NATVRAE.

§. I.

INfinitam potentiam, bonitatem, ac sapientiam suam Deus, et in omnibus rebus creatis producendis, conseruandis ac gubernandis; et, quod nobis potissimum contemplandum est, in hominibus peccatoribus e seruitute peccati in libertatem filiorum Dei vindicandis, atque ad fidem in Christum, veramque salutem perducendis, demonstratam dedit. Hinc duplex Deo tribuitur regnum, alterum *naturae*, siue *potentiae*, in quo omnibus rebus a se productis libere potenterque dominatur; alterum *gratiae*, in quo singularem hominum curam gerit, ex miseria, per gratiam, ad gloriam euehendorum.

§. II.

In regno *naturae* duplex opus diuinum est considerandum, 1) productio omnium rerum creatarum; 2) earundem conseruatio et gubernatio: siue *creatio*, et *providentia* diuina.

§. III.

§. III.

Orbem vniuersum, et quicquid praeter Deum existit, nec prout nunc est, nec respectu materiae, ex qua ortus est, ab aeterno fuisse, sed habuisse initium, nec aliter, quam per creationem initium habere potuisse, ex reuelatione diuina creditur. (*Hebr. XI. 3.*)

§. IV.

Creationem scriptura sacra (*Gen. I. et II.*) actionem Dei esse planissime docet, qua res omnes, inuisibiles et visibiles, antea non existentes, et has quidem, vel materia non praexistente, vel ex materia, ad rem producendam prorsus inepta, pro diuina sua libertate, potentia et sapientia, sex dierum interuallo, in suam gloriam primum produxit, et existere iussit.

§. V.

Creator ergo huius vniuersi est solus Deus, (*Ies. XLIV. 24. Ier. X. 11. 12. 13.*) pater, filius, et spiritus sanctus, (*ps. XXXIII. 6.*) ita quidem, vt filius, et spiritus sanctus non minus, quam pater, propria virtute, cum patre mundum condiderit.

§. VI.

Modus creationis a nobis definiri non potest. Solo diuinae voluntatis iussu omnia facta esse, scriptura confirmat. (*Gen. I. 3. psalm.*)

psalm. XXXIII. 9. apoc. IV. 11.) Quare creatio non per emanationem, ex essentia diuina explicari, nec in naturalem generationem commutari debet.

§. VII.

Quicquid creatum est, Deus vnico momento producere potuisset: ex historia Mosáica tamen constat, Deum huic operi *sextiduum* impendere voluisse. *Primo* enim die creauit Deus *caelum* supremum, orbem inuisibilem cum incolis, et *terram*, siue orbem visibilem, quoad substantiam suam perfectam, nec non *lucem* primigeniam. *Secundo* die separauit aquas, et fecit *expansum*, vt aquas superiores ab inferioribus discerneret. *Tertio* die aquas inferiores, globum terrestrem adhuc obtegentes, in *alueos*, siue maria et flumina abire iussit, et superficiem telluris, per *montes* et *valles* iam distinctam, *herbis*, fruticibus, et arboribus exornauit. *Quarto* die *solem*, *lunam*, et reliqua *sidera* condidit. *Quinto* *aquatilia* ex aqua, et *volatilia* e terra produxit. *Sexto* *animalia* terrestria, reptilia, et quadrupedia, tandemque *hominem* creauit, cuius corpus e terra formauit, *animamque* *uitarum*, materiae expertem atque immortalem, naribus eius inflauit. *Primo* autem homini *Adamo* adiunxit feminam, ex costa ipsius formatam, et ab illo *Euae* nomine compellatam,

ut ex vno sanguine omne genus hominum exoriretur. (act. XVII. 26.) *Praeadamitas* enim scriptura sacra ignorat.

§. VIII.

Quidquid Deus creauit, *valde bonum*, siue in suo genere perfectum fuit, (Gen. I. 31.) neque quicquam, nisi bonum, ab ipso proficisci potuit. Quicquid malum est, si malum est, quod hoc nomine venit, ex libertatis, substantiis ratione praeditis concessae, abusu, est deducendum. Deus autem, omnibus rebus ex voluntate sua productis, die *septimo* quieuit, et nouum aliquid creare desiit.

§. IX.

Inter res creatas praecipuum locum tenent *angeli*, ab officio suo denominati. Vox enim *angeli*, vi originis et significationis generalioris, nomen est *officii*, et quemuis nuncium vel legatum denotat; si vsum vero et significationem specialem specres, *naturae* nomen est, et *spiritum* designat, nullo cum corpore coniunctum, quo Deus tanquam nuncio et legato suo vti possit.

§. X.

Dari eiusmodi spiritus, etsi *ratio* non contemnendis argumentis ostendere possit,
omni-

omnium firmissime tamen scriptura demonstrat. (*psalm. CIV. 4. Hebr. I. 7. 14.*)

§. XI.

Sunt autem angeli, generatim spectati, *spiritus*, siue substantiae simplices, et materiae expertes, *intellectu et voluntate*, nec non potentia, cogitationes suas cum aliis angelis, immo cum hominibus communicandi, et in corpora agendi, praediti, ut Deum creatorem suum collaudent, iussu eius exsequantur, et aeterna beatitudine fruantur.

§. XII.

Et hosce spiritus a Deo ad imaginem suam, et in veritate conditos, atque summa sapientia, et iustitia instructos fuisse, scriptura sacra luculenter docet.

§ XIII.

Quia vero *alii* in statu gratiae, siue in veritate, in qua conditi sunt, perstiterunt, *alii* vero gratia ante lapsum hominis exciderunt: (*Iob. VIII. 44. 2. Petr. II. 4. Iud. v. 6.*) *discrimen inter angelos* ortum est, et alii dicuntur *boni*, sancti, et electi; alii vero *mali*, impuri, et reprobi.

§. XIV.

Angeli boni sunt, qui ad statum gloriae eue-

euecti, in bono ita confirmati sunt, vt peccare amplius nequeant. (*Matth. XVIII. 10.*)

§. XV.

Inter *qualitates* bonorum angelorum, in sacris literis commemoratas, eminet singularis *sapientia*, (*2. Sam. XIV. 20.*) qua res diuinas, et alias praeter se, eminentiori gradu cognoscunt. Quae autem ad hominum salutem pertinent, et in orbe nostro geruntur, vel ex reuelatione diuina cognoscunt, (*1. Petr. I. 12.*) vel experientia edocentur. (*Luc. XV. 10.*) Certa autem futurorum contingentium cognitio, et cordium ac cogitationum hominum scrutatio, DEO soli propria est. (*Ies. XLV. 21. 1. reg. VIII. 39.*) Hinc vtraque angelis tribui non potest. (*Marc. XIII. 32.*)

§. XVI.

Sapientiam porro exornat perfecta *sancritas*, qua nihil, nisi, quod voluntati diuinae conforme est, appetunt efficiuntque. Quo ipso tamen non omnis illis denegatur libertas, quemadmodum etiam commotiones mentales, gaudium et desiderium, illis in sacris literis tribuuntur.

§ XVII.

Magna etiam angelis bonis a supremo numine concessa est *potentia*, (*ps. CIII. 20.*)

D

quae

quae tamen suis circumscripta est limitibus. Licet enim mirabilia facere possint, *miracula* tamen facere non possunt. Qui autem scripturae sacrae vim inferre sibi religioni ducit, *apparitiones* angelorum neutiquam negabit.

§. XVIII.

Operationes bonorum angelorum, partim ad ipsam illorum *beatitudinem* spectant, dum Deum intuitiue cognoscunt, et amore intensissimo prosequuntur; partim *ministeriales* sunt, quibus Deo, et speciatim Christo *Θεανδρώπῳ*, inseruiunt.

§. XIX.

Deo inseruiunt, (1) gloriam et laudes eius celebrando: (*ps.* CIII. 20. *Ies.* VI. 2. *Luc.* II. 13.) (2) iussa ipsius, partim in *piis* hominibus, per totam vitam, custodiendis, (*Hebr.* I. 14. *psalm.* XCI. 11. 12.) et praesertim in animabus piorum morientium in sinum Abrahae deportandis; (*Luc.* XVI. 22.) partim in *re publica*, ecclesiastica vel politica, disponenda et conseruanda; (*Gal.* III. 19. *Dan.* X. 13.) partim in exercendis *iudiciis* diuinis; (*Gen.* XIX. 11. *act.* XII. 23.) exsequendo. Homi- nibus autem minus recte ministrare dicuntur: angelus quoque *tutelaris* e sacris literis euidenter probari non potest.

§. XX.

§. XX.

Christo Θεανθρώπων in conceptione, natiuitate, tentatione, passione, resurrectione, et ascensione in caelum *ministrarunt*, atque adorando *ministrant*, et in iudicio extremo homines colligendo, piosque ab impiis legregando, *ministrabunt*.

§. XXI.

Denique ingentem angelorum bonorum numerum, certosque eorum *ordines* esse, scriptura testatur, quos tamen in hac mortalitate nobis accurate definire non licet. Hoc certum est, specie et essentia eos non differre, sed tantum donis, tum naturalibus, tum moralibus.

§. XXII.

Ex quibus omnibus satis apparet, angelos bonos pro mediatoribus secundariis non esse habendos, nec adorandos; (*apoc. XIX. 10.*) et *nostri* tantum esse *officii*, (1) beneficia, quae Deus per angelos bonos in nos confert, grato agnoscere animo, (2) angelos ipsos imitari, et (3) cauere sedulo, ne malis factis eos offendamus.

§. XXIII.

Angeli autem *mali* sunt, qui ex amore sui inordinato, cum principe suo a Deo defece-
runt, et vinculis tenebrarum in tartarum

detrushi, non possunt non peccare, ac reseruantur in iudicium, grauioribus adhuc poenis in aeternum cruciandi.

§. XXIV.

Et hi angeli impuri caelesti quidem carent sapientia; *naturalis* tamen *facultas cognoscendi* in illis supereft. Hinc *scientia rerum diuinarum*, summo tamen cum tremore coniuncta, illis tribuitur; (*Iac. II. 19.*) nec non detestanda *calliditas*, (*Eph. VI. 11.*) quae experientia augetur. In *voluntate* illorum praua *Φιλαντία*, quicquid vitiorum cogitari potest, producit, adeo, vt libertas eorum tantum circa mala versetur. Et, quamuis nobis non satis constet, quousque vires illorum pertingant, omnisque superstitio merito fugienda sit; malis tamen angelis sacra scriptura *potentiam* versandi in hoc orbe, et permissu Dei varia edendi opera, tribuit, quam propterea nobis in dubium vocare non licet.

§. XXV.

Operationes eorum in statu damnationis tantum malae sunt, quibus sibi ipsis maxime nocent, suamque augent miseriam. Deum seruili timore summoque prosequuntur odio, et voluntati eius semper renituntur. *Hominibus* etiam, maxime piis, aduersantur, et cum singulis, tum integris societatibus,

varia

varia ratione infidias struunt, vt in errores et peccata quaeuis, in damnum et perniciem praecipitentur. Nec solum ipsis animus est nocendi; sed, Deo permittente, etiam variis modis, speciatim obfessione corporali, magia, et per spectra, piis et impiis, diuerso tamen fine, mala intulerunt, et inferre possunt. Ipsos autem aeternae damnationi cum impiis addictos, (*Matth. XXV. 41.*) in gehenna impiorum tortores fore, non legitur.

§. XXVI.

Et horum quoque malorum angelorum ingentem esse numerum, (*Marc. V. 9.*) certosque ordines, (*Luc. XI. 15.*) ex scriptura sacra luculenter constat, quae nos contra illos armis spiritualibus, fide, sobrietate, et vigilantia pugnare iubet. (*1. Petr. V. 8.*)

§. XXVII.

Quicquid Deus creauit, etiam prouidentia sua complectitur, quae est actus sapientiae ac voluntatis diuinae, quo optime nouit, quibus mediis res quaequae conseruari, et ad finem suum dirigi debeant, eademque conferendo, res cunctas a se creatas, conseruat, dirigit, et gubernat.

§. XXVIII.

Dari talem prouidentiam diuinam, ratio

ex bonitate, sapientia, ac potentia DEI, nec non ex rerum creaturarum indigentia, euidenter colligit, eandemque scriptura sacra abunde confirmat, (*Matth. VI. 25. seqq. act. XVII. 28.*) quae etiam omnia dubia plenius certiusque diluit.

§. XXIX.

Quemadmodum autem is, qui rebus creatis prospicere potest, solus est Deus, pater, (*Matth. VI. 26. 32.*) filius, (*Hebr. I. 3.*) et spiritus sanctus: (*Hiob. XXXIII. 4.*) ita prouida DEI cura omnes omnino res creatas, minimas, maximas, conseruat, et dirigit, vt nihil absque ea contingere possit; (*Matth. X. 29.*) praecipue tamen circa homines, (*Matth. V. 45. act. XVII. 28.*) et in hominibus speciatim circa fideles versatur. (*Matth. VI. 26. X. 30. 31. psalm. XXXIII. 15. 18. I. Tim. IV. 10. Hebr. I. 14.*)

§. XXX.

Ad res creatas, generatim spectatas, quod attinet, eae vel in essentia sua, vel quoad speciem conseruantur: indiuiduis aliis vel semper, vel ad tempus persistentibus; aliis in locum destructorum nascentibus. Deinde etiam vi agendi a Deo in prima creatione praeditae, in motu et actionibus, ordinem a Deo constitutum, generali et ordinario ipsi-

ipsius *concurſu*, ſequuntur; (*act. XIV. 17.*) niſi Deus, ſpecialiori quadam directione, ab illo ordine diſcedere iubeat.

§. XXXI.

In primis *homines*, generatim ſpectati, Dei *concurſu* et *gubernatione* ſpeciali, in hanc vitam *ingrediuntur*, (*Hiob. X. 8. ſq. psalm. CXXXIX. 14. 15.*) et in *progreſſu* vitae, agendi quidem libertate, a Deo ipsis conceſſa, vtuntur; diuinæ tamen prouidentiae virtutem atque veſtigia in omnibus actionibus ſuis deprehendunt. *Actiones* enim eorum *naturales*, Deo vires agendi naturales conſeruante ac corroborante, inſtituuntur ac conſummantur. *Actiones* quoque eorum *morales*, et quidem *ciuilitè bonas*, Deus dirigit, intellectum lumine rationis et reuelationis vniuerſalis inſtruendo, et voluntatem per obiecta inſtinctumque internum fleſcendo, nec non huius vitae præmiis illas promouendo, eaſdemque ad finem ſibi propoſitum deducendo. *Malæ autem actiones hominum*, qua *actiones* ſunt, etiam generali Dei *concurſu* fiunt; qua *malæ*, a determinatione hominis pendent. Et in malis illis actionibus admiranda eſt diuina gubernatio, qua eas, ſeuere ac ſub graui comminatione prohibitas, *deſtatur*; (*psalm. V. 5.*) aliquando *impedit* ac coërcet; (*psalm. XXXIII.*

10.) aliquando ob sanctissimas, et, tum intuitu peccantium, tum aliorum hominum, diuersas causas, *permittit*; (*psalm. LXXXI. 13.*) certis limitibus, ratione temporis, modi, et gradus, *determinat* et *constringit*; tandemque ad optimum finem *dirigit*. Sic etiam diuersos hominum status, et integras societates prouidenter gubernat.

§. XXXII.

Neque minus circa *terminum vitae* sese conspiciendam praebet diuina prouidentia. Vnicuique enim mortalium Deus terminum praestituit *naturalem*, tum secundum diuersas mundi aetates, tum pro singulorum hominum diuersitate, diuersum; neutiquam tamen ita fixum, vt mutari non possit. Ex praescitu autem rerum contingentium cuius *certum* constituit terminum, naturali saepius breuiorem, rarius longiorem. Sic impiis mortem accelerat, (*psalm. LV. 24.*) qui et sibi ipsi multis modis mortem accelerare possunt.

§. XXXIII.

Pii homines, cum singuli, tum in coetum collecti, specialissima ratione Deo curae sunt, dum (1) *actiones* eorum *spiritualiter bonas* gratia sua operante incipit, et cooperante perficit; id, quod in sequentibus
cla-

clarius exponetur : dum (2) omnes reli-
quas eorum *actiones*, quin et *passiones*, ita
dirigit, vt in eorum commodum cedant :
(*Rom. VIII. 28.*) et (3) eorundem *vitae*
terminum ex gratia, modo prorogat, (*Exod.*
XX. 12. Ies. XXXVIII. 5.) modo abbrevi-
at. (*2. chron. XXXIV. 28.*)

§ XXXIV.

Finis, et creationis, et prouidentiae diui-
nae, cum sit *bonitatis*, *sapientiae*, ac *potentiae*
Dei manifestatio, vtriusque consideratione
ad Deum quaerendum, riteque colendum
induci, et commoueri nos patiamur ; o-
mnesque mutationes, quae nobis in hoc sae-
culo obueniunt, aequo feramus animo, for-
te nostra contenti ; res vero creatas non
alio, quam instrumentorum loco, habea-
mus, et in Deo solo, supremo omnium re-
rum moderatore, fiduciam nostram collo-
cemus.

TABVLA SYNOPTICA.

Opera DEI ad regnum naturae, vel gratiae refe-
runtur, §. I.

et in priori sunt duo. §. II. Hinc

I. De CREATIONE agitur §. III-XXVI. ubi

1. omnes res extra Deum per solam creationem
initium habuisse asseritur. §. III.

2. definitio creationis ponitur. §. IV.

3. causa efficiens. §. V.

4. modus creationis. §. VI.

5. res in sextiduo creatae : ubi

D 5

1) il-

1) *illae in genere recensentur et describuntur.*
§. VII. VIII.

2) *ANGELI in primis considerantur, et quidem*

a) *generatim, 1. qua nomen.* §. IX.

2. *qua existentiam.* §. X.

3. *qua essentiam et proprietates.* §. XI.

4. *qua statum, in quo conditi.*
§. XII.

β) *speciatim, ubi not.*

(1) *unde discrimen inter angelos bonos et malos ortum.* §. XIII.

(2) *quinam boni sint: ubi*

1. *definitio.* §. XIV.

2. *qualitates, sapientia, sanctitas, potentia.* §. XV. XVI. XVII.

3. *operationes, in genere.* §. XVIII.

in specie, quibus Deo, et Christo inserviunt. §. XIX. XX.

4. *numerus et ordo.* §. XXI.

5. *officium hominum erga eos.* §. XXII.

(3) *quinam mali. ubi*

1. *definitio.* §. XXIII.

2. *qualitates.* §. XXIV.

3. *operationes.* §. XXV.

4. *numerus, ordo, et*

5. *officium hominum erga eos.* §. XXVI.

II. *De PROVIDENTIA agitur.* §. XXVII-XXXIV. *ubi*

1. *definitio ponitur.* §. XXVII.

2. *existentia probatur.* §. XXVIII.

3. *caussa efficiens et obiectum.* §. XXIX.

4. *actus 1. circa res creatas in genere.* §. XXX.

2. *circa homines in specie.* §. XXXI. XXXII.

3. *praecipue circa pios.* §. XXXIII.

5. *monita practica.* §. XXXIV.

LIBER